

# **Digitales Brandenburg**

hosted by **Universitätsbibliothek Potsdam**

## **Georgii Adami Struvii jurisprudentia romano-germanica forensis ...**


Jurisprudentia romano-germanica forensis - Georgius Adamus

**Mencke, Lüder**

**Jenae, 1733**

Vorwort

**urn:nbn:de:kobv:517-vlib-7433**



Lectori Benevolo Salutem dicit Au-  
tor Additionum,

**C**Um in lucem publicam sua emittentibus  
nec Censor accuratus, nec Calumniator ini-  
quus desit, miraberis forte, cur loqui quam sile-  
re maluerim; in primis quia Digestorum Com-  
pendia hodie non Scriptoribus, sed Lectoribus  
destituuntur, eademque non tam rebus, quam  
vocalibus novis plerumque exornantur. Dicam  
ingenue mei Instituti rationem. Juris Pru-  
dentia, quam vides, Strupiana suos invenit A-  
matores, quod non tantum prela toties repeti-  
ta, sed etiam publica & privata Laudatorum  
Virorum judicia docent; quorum vota eo tende-  
re visa sunt, ut Digestorum Tituli haecenus o-  
missi methodo simili adderentur, quo Pande-  
ctarum Volumen universum usu Fori illustratum  
per sua principia brevi temporis impendio legi  
relegique posset, quod ipsum quoque justa Ado-  
lescentum optime indolis desideria testabuntur.  
Unde Magnificus Auctor, amplissimo Consilia-  
rii intimi, Praesidis Regiminis & Ordinarii  
munere honoratus & oneratus, hunc libellum  
sua opera per temporis angustiam suppleri non  
posse previdit, eamque spartam mihi, forte in-  
digno & impari, demandavit. Tanti Viri vo-

luntas mihi pro imperio fuit, hinc brevia, quae benignis manibus Tuis offero. Additamenta eodem Ordine conscripsi. Laudem nullam ex hac opella vel spero vel mereor, equum autem Benevoli lectoris iudicium loco praemii exopto expectoque. Inusitata brevissimo, usitata laxiori stylo proposui, Jure Saxonico subinde adducto, Et crassam Antiquitatis ignorantiam exosus, Et cum Aristippo apud Laertium Adolescentibus discenda esse quae Viris usui futura sunt, ratus. Censores sine Populi suffragio tales, Lynceos in alienis, in propriis Tyrestas nihil moror: his enim placere terminos humanae felicitatis excedit.

Cæterum Tuam Benevole Lector, testaturus benevolentiam, quam benignissime hæc qualiacunque interpretare, easdemque partes Tibi creditas esse puta, quas in pile lusu exprimit Lipsius; dum alterius est, inquit, commode mittere, alterius, si quid erratum est, quam bellissime excipere Et arte corrigere. Vale.